

nes, quæ evidenter ipsius sunt, et quibus ejus mentem poterimus colligere.

XVI. Prima est: In moralibus, seu in linea morali, differentia constitutiva actus mali quatenus dividitur a bono, non est privatio, sed aliquid positivum. Constat autem, quod differentia constitutiva speciei formaliter se habet in tali constituto, non præsuppositive, aut connotative.

XVII. Secunda propositio: Defectus ille in peccato, qui non est a Deo, pertinet ad speciem actus mali consequenter, et non ut differentia specifica: privatio autem, si constituit speciem mali moralis, non potest consequenter se habere ad ipsam differentiam constituentem: si autem non constituit illam speciem mali moralis contrariam, et oppositam bono; ergo aliquid quod non est privatio constituit illam, et hoc non potest esse, nisi positivum.

XVIII. Tertia propositio: Deformatas actus non solum importat privationem debitæ formæ; sed etiam contrariam dispositionem, et actus deformis non est a Deo. Quapropter si apud D. Thomam privatio se habet ut formale in peccato, et explicat in his locis, quod non se habet ut differentia specifica, non est illud formale privationis constitutum peccati, sed consecutum in constituendo peccato, cum alias in malo morali assignet D. Thomas dari specificam differentiam condivisam contra bonum morale, non illam neget. Si enim in malo morali non esset aliqua species constituta, sed destructa, bene stat quod constitueretur per privationem, quia potius non constitueretur, sed destrueretur species. At D. Thomas ponit differentiam specificam constitutivam mali mortalis, et sic quando dicit privationem esse formale in peccato, non potest loqui de formali constituti

(pro quo ponit differentiam specificam) sed de consecuto.

XIX. Igitur prima propositio ex his, quas diximus, etsi multis locis habetur apud D. Thomam, præcipue tamen quatuor notari possunt. In primis 1 p. quæst. XLVIII, art. 1 ad secundum sic inquit: « Bonum, et malum sunt differentie specificæ in moralibus, bonum per se, sed malum in quantum est remotio finis debiti. Nec tamen remotio debiti finis constituit speciem in moralibus, nisi secundum quod adjungitur fini indebito. Sic igitur malum, quod est constitutum in moralibus est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni. » Hæc D. Thomas, ubi expresse loquitur de constitutivo in genere, et linea morali, et hoc constitutum dicitur esse quoddam bonum ut fundat, et conjungitur privationi.

XX. Secundo in hac quæstione XVIII, art. v ad secundum inquit: « Quod malum importat privationem non absolutam, sed consequentem talem potentiam, dicitur enim malus actus secundum suam speciem, non ex eo quod nullum habeat objectum, sed quia habet objectum non conveniens rationi, unde in quantum objectum est aliquid positive, potest constituere speciem mali actus. » Constat autem, quod actus non habet objectum, nec ab illo speciem sumit, quia per privationem comparatur ad illud, sed per habitudinem, et ordinem positivum. Ergo idem est dicere, quod habet actus malus speciem suam per hoc quod habet objectum, ac dicere, quod per ordinem positivum ad objectum illam habet, quia actus non habet objectum nisi mediante habitudine ad illud, non privatione erga illud, ac per hoc dicere: Quod in quantum objectum est aliquid positive potest constituere speciem, est idem ac dicere, quod in quantum objectum

positive attingitur, et habetur potest constituere speciem.

Tertio, D. Thomas in tertio contra gentiles, c. ix inquit: « Quod malum secundum quod est differentia specifica in genere morali non importat aliquid, quod sit secundum suam essentiam malum, sed aliquid quod secundum se est bonum, malum autem homini in quantum privat ordinem rationis, quod est hominis bonum. Ex quo etiam patet, quod malum, et bonum sunt contraria secundum quod in genere morali accipiuntur, non autem simpliciter accepta. »

XXI. Denique in secundo, dist. xxxiv, quæst. 1, art. 11 ad tertium sic dicit: « Moralia ex fine speciem consequuntur, ex ordine autem ad finem debitum specificatur bona actio, ratione cujus bonum differentia ponitur specifica habitus, et actionis moralis; mala vero actio specificatur ex ordine ad finem indebitum cui admiscetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit. » Unde patet, quod non sola privatio specificat malum habitum, seu actionem, sed positio ordinis ad finem quemdam cum privatione debiti finis. Et adhuc expressius dist. xxxvii, sequenti quæstione 11, art. 11 ad quartum: « Ipsa, inquit, privatio, qua aliquid malum dicitur non potest esse differentia, nec genus, sed unusquisque actus specificatur per aliquid positive dictum; sed positionem utramque per quam scilicet ponitur in genere, aut specie, consequitur privatio aliqua, et ideo aliqui actus dicuntur mali ex genere aut specie. » Et loquitur expresse D. Thomas de malo morali, sicut de eodem loquitur infra quæst. LXXII, art. 1 ad secundum, ubi negat peccatum esse puram privationem, sed actum debito ordine privatum, negatque sumi specificationem peccatorum ex formis oppositis, sed ex

objectis actuum, et tamen si privatio esset constitutum peccati, necessario deberet sumi ex oppositis formis, quia privatio non tangit nisi rem privatam, a qua specificatur in ratione privationis; ordo autem, et habitudo actus tangit objectum. Quare differentia constitutiva actus mali moralis non est privatio fundata, sed ratio fundans privationem. Et cum fundamentum privationis non sit alia privatio, sed aliquid positivum, sic in illo consistet differentia actus mali.

At dicunt aliqui D. Thomam loqui de specificatione actus, qui utique debet aliquo positivo constitui in specie sua, eo quod speciem sumit ab objecto. Cæterum peccatum ut peccatum est formaliter, proprie non constituit speciem, sed destruit, et in hac ratione destructivi non constituitur positivo ordine, sed privatione, sicut cæcitas, et surditas non constituunt speciem, sed destruunt. Constitutio ergo speciei in actu morali materialiter se habet ad rationem peccati, ideoque illa ex objecto sumitur; at vero destructio speciei ex privatione sumitur, et hoc est formalissimum in peccato.

XXII. Sed contra est, quia etsi unum sit peccatum destruere oppositam rectitudinem, et quantum ad hoc non constitui in specie per aliquid positivum, sed destruere per privativum, tamen negari non potest aliquam speciem moralitatis constitui, quæ non sit bonum morale, neque indifferens, si quidem habet adjunctam privationem boni, et fundat illam, debet ergo esse malum morale. Illa enim species de qua loquitur D. Thomas et illa differentia specifica, quam ponit ut constitutivam alicujus, sine dubio aliquam speciem a parte rei vere, et proprie constituit, ut patet in ipsis verbis allatis D. Thomæ. Talis ergo



species sic constituta non est species in genere naturali, et physico, ut manifeste patet in verbis D. Thomæ supra relatis, qui loquitur expresse in moralibus, et loquitur de peccato, quod est aliquid morale, et de specie opposita virtuti, et de ordine ad finem indebitum, quod totum aliquid morale est. In linea ergo morali datur aliqua species de qua loquitur D. Thomas non solum per modum destructionis, sed per modum constitutionis, non constituta aliqua privatione, sed aliquo ordine positivo ad objectum. Talis ergo species, aut est bona, aut mala, aut indifferens, quia in genere, et linea morali non possunt plures species etiam fingi. Illa autem species de qua loquitur D. Thomas non est bona, neque indifferens, quia ordinatur ad finem indebitum, et habet adjunctam privationem, illamque fundat, quod rei bonæ competere non potest, neque indifferenti ut talis; ergo est mala. Quidquid ergo sit de destructivo speciei bonæ (quod non negamus, quia una species opponitur alteri, et destruit illam) tamen datur vera, et formalis species mali moralis apud D. Thomam constituta aliquo positivo ordine ad objectum indebitum, licet fundet privationem. Et hoc solum intendimus.

XXIII. Secunda propositio D. Thomæ constat ex his, quæ docet infra quæst. LXXIX, art. II ad tertium, ubi inquit: « Quod habitus, et actus non recipiunt speciem ex ipsa privatione, in qua consistit ratio mali (scilicet ratio mali simpliciter) sed ex aliquo objecto, cui jungitur talis privatio, et sic ipse defectus, qui dicitur a Deo non esse pertinet ad speciem actus consequenter, et non quasi differentia specifica. » Ubi ponderandum est D. Thomam, hoc dicere respondendo ad argumentum quod est fundamentum oppositæ

sententiæ, quod videlicet formale constitutum peccati non debet esse a Deo, et tamen illi respondendo dicit, quod: « Ille defectus, qui dicitur a Deo non esse pertinet ad speciem actus consequenter, et non quasi differentia: » ergo tale argumentum, et fundamentum oppositum non movit sanctum doctorem, ut diceret formale constitutum malitiæ moralis esse privationem, sed hanc solum consequenter se habere ad speciem actus. Insinuat tamen hoc ipso sanctus doctor, quod etiam illa specifica differentia, prout fundans talem privationem a Deo non est, quia quoties aliqua forma non est ab aliquo agente, etiam radix, et fundamentum illius non est ab illo, sicut patet in ipsa potentia peccandi, quæ antecederet se habet ad ipsum peccatum, et tamen prout talis potentia non est a Deo, quia est defectuosa, est enim radix, et fundamentum deficiendi, et peccandi, et sic potentia ut deficiens, seu defectuosa non est a Deo, sicut nec ipsum peccatum quatenus defectus est.

XXIV. Tertia propositio, quæ etiam ex hac secunda deducitur, sumitur ex D. Thomæ 2-2, quæst. VI, art. II, ubi sic inquit: « Ad secundum dicendum, quod deformitas actus est de ratione speciei ipsius actus, secundum quod est actus moralis, ut supra dictum est: dicitur enim actus deformis per privationem formæ intrinsecæ, quæ est debita commensuratio circumstantiarum actus, et ideo non potest dici causa actus deformis Deus, qui non est causa deformitatis, licet sit causa actus in quantum est actus. Vel dicendum, quod deformitas non solum importat privationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem. Unde deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem, et ideo sicut actus deformis non est a

Deo, ita nec aliqua fides falsa. » Ita D. Thomas. Quo loco Cajetanus optime sancti doctoris mentem interpretatur, qui in prima solutione inquadicit deformitatem esse de ratione speciei actus, addidit sanctus doctor, sicut supra dictum est, ad denotandum quod deformitas contrarie, et positive sumpta est de ratione speciei actus mali constitutive, sumpta autem privative non est de ratione ejus constitutive, sed consecutive.

XXV. Quod enim supra ita sensisset D. Thomas constat ex adductis in prima propositione, præsertim in hac quæstione XVIII, art. V ad secundum, et quæst. LXXII, art. I ad secundum, ubi docet privationem non constituere speciem mali moralis, nec distinguere species peccatorum, sed ex ordine ad objectum, consequitur autem inde privatio. Deformitas ergo cum dicitur hic a D. Thomæ esse de ratione speciei, sicut supra dictum est, regulandum est hoc dictum juxta hæc supra dicta, ubi cum inveniamus privationem dici a D. Thomæ, quod non constituat speciem, intelligimus etiam quod deformitas non est de ratione speciei per modum formæ constituentis, si sumatur pro privatione, bene tamen si sumatur pro ordine positivo contrario. Unde ut melius explicaret suam mentem adhibuit S. Thomas secundam solutionem, quæ potius est explicatio primæ, videlicet quod deformitas in actu non est solum privatio, sed etiam contraria dispositio. Ubi contraponens contrarietatem privationi manifeste loquitur de contrarietate propria, et positiva. Et hanc deformitatem contrariam, dicit non esse a Deo, sicut nec fides falsa, quæ opponitur contrarie, et positive fidei veræ; sicut falsitatem, et veritatem formalem in cognitione contrarie opponi docuit D. Thomas I p.

quæst. XVII. Et ita Cajetanus citato loco ex secunda secundæ fatetur quod actus malus, ut contrarius virtuti non est a Deo; contraria autem oppositio positiva est, ut distinguitur a privativa.

XXVI. Ex his elicio resolutionem totius difficultatis unica conclusione. Species mali moralis conditiva a bono morali in linea et genere moralitatis quantum ad rationem formalem constitutivam in peccato commissionis, consistit in ordine positivo ad objectum pravum, seu indebitum, ut contrario ipsi bonitati, et ut defectibili, et fundante privationem rectitudinis. Ipsa vero privatio fundata, non se habet formaliter constitutive in actu malo, sed formaliter consecutive. Dissonantia autem ad legem, et ad naturam rationalem non est constitutum formale peccati, sed eodem modo consequitur sicut privatio. Ex eo enim quod peccatum tendit ad objectum dissonum rationi, et legi, et naturæ rationali, quæ tendentia est formale constitutum mali moralis, sequitur quod actus sit privatus rectitudine, hoc est, tendentia ad objectum consonum, et ordinatum per rationem, subordinatum legi, et quod erga talem legem, et ordinem rationis non habet convenientiam, sed dissonantiam, et disconvenientiam; quæ disconvenientia, aut dissonantia non est in ipso actu denominatio extrinseca proveniens ab aliqua forma reali, ut esse visum a visione, sed relatio disconvenientiæ ad ipsam naturam rationalem, et regulas ejus, quæ relatio potest esse realis quando terminus ejus realiter existit, alias non.

XXVII. Itaque philosophari debemus in isto actu morali, sicut in effectu artificiali, in quo quando invenimus artefactum recte, et exacte esse factum, dicimus id consistere in ordine ad ideam rectam artificis,



et ad artem, quæ est regula artefacti. Si autem artefactum non sit exactum neque rectum dicit ordinem ad ideam distortam, vel ad manum, et artem imperfectam, unde processit, cum dissonantia tamen, et disconvenientia ad ideam rectam, et artem perfectam, nec tamen in tali dissonantia, et disconvenientia formaliter consistit ipsum artefactum: quia eruere habet prius suum ordinem, et habitudinem ad ideam illam distortam, et imperfectam artem a qua processit, et cui conformatur: inde vero consequitur disconvenientia, et dissonantia ad illas regulas, quibus debuerat conformari.

XXVIII. Hæc conclusio variis solet rationibus probari, sed quia intentio nostra in sententiis probandis non est accumulare rationes, sed fundamenta penetrare, et eruere, quantum nobis possibile fuerit, reducimus probationem, et explicationem hujus conclusionis ad duo præcipua fundamenta. Primum, quia in linea morali, datur vera, et propria species malitiæ, seu actus, vel habitus pravi, quæ species constitui non potest formaliter, nisi per positivum ordinem ad objectum a quo haurit actus suam moralitatem sive bonam, sive pravam; in attingendo enim objecto est tota perfectio, seu bonitas, aut imperfectio, seu malitia generis moralis. Secundum fundamentum est, quia in linea, et ordine morali invenitur vera, propria, et rigorosa contrarietas inter virtutem et vitium, actum bonum et malum, et non solum privativa oppositio, quæ est oppositio non realis, sed rationis. Unde manifeste sequitur, quod utrumque scilicet tam bonum, quam malum debet consistere intra lineam, et genus morale in aliquo positivo, quia oppositio contraria est inter extrema positiva.

XXIX. Primum fundamentum deducitur sic: Species mali moralis, quæ dividitur contra bonum, etiam in linea, et genere morali debet constitui aliquo genere, et differentia, sed differentia specifica actus moralis mali est aliquid positivum reale, seu a parte rei, non privatio, vel extrinseca denominatio: ergo formale constitutum speciei mali moralis est aliquid positivum. Major negari non potest, nam etiam in linea morali datur aliquod constitutum ex universali, et particulari, ex genere, et differentia, nec est ratio cur excludamus ab ista linea, et ordine morali hanc constitutionem omni generi commune sicut etiam in genere artificiali invenitur aliquid commune tamquam genus, et aliquid particulare ut differentia, ex quibus coalescit species artefacti; et ita sicut dantur diversæ species artefactorum, ita dantur diversæ species virtutum, et vitiorum, et actuum moralium, species autem essentialiter constat genere, et differentia. Et ita generaliter S. Thomas et theologi omnes morale genus agnoscunt, et diversas divisiones virtutum, et vitiorum tamquam diversas species concorditer sentiunt. Quod si hoc debet negari ut sustentetur, privationem esse constitutum formale actus mali, certe cum magna difficultate id defendetur, negando principium adeo receptum inter theologos. Minor vero constat in primis ex locis supra citatis ex D. Thoma, ubi apertissime docet in moralibus differentiam constitutivam non esse privationem, sed ordinem ad finem, seu objectum indebitum cui annexa est privatio. Et loquitur de specifica differentia in genere morali; tum, quia expressis verbis de moralibus loquitur, ut patet in locis pro prima propositione allatis; tum, quia non erat ad propositum loqui de differentia

specificam in genere naturæ, cum nec etiam loquatur de bono, neque de malo in genere naturæ, quod est malum simpliciter, sed de malo, et bono morali.

XXX. Nec potest dici, quod loquitur de constitutivo morali pro fundamento, seu concreto, quod tenet se ex parte actus in moralibus, non ex parte aversionis, et obliquitatis quod in ipso peccato formale est in quantum peccatum, et devium a ratione.

XXXI. Nam contra est, quia illud morale pro quo D. Thomas negat privationem posse esse differentiam specificam, aut est vera, et propria species generis moralis, aut non. Si non est vera, et propria species generis moralis; ergo falso dicit D. Thomas quod in moralibus privatio non est differentia specifica, sed aliquid positivum, seu ordo ad finem, et objectum indebitum, si quidem hæc species, quæ constituitur per hoc positivum non est species generis moralis, sed in genere naturæ, vel in alio genere non pertinente ad propositum ubi agebatur de moralibus: et diminute procedit, quia restabat tunc S. Thomæ assignare per quid constituitur hæc species moralis, quam negat constitui per privationem; si enim solum vult quod aliquid præsuppositum, seu fundamentale, et concretivum ex parte actus non constituitur per privationem, et illud fundamentale, et præsuppositum nondum est species generis moralis; ergo restat semper explicare per quid constituatur ista species moralis, et in hoc esset diminutus S. Thomas proponens explicare speciem generis moralis, et divertens ad id quod præsuppositum est, et non tangens quod formale, et constitutum est hujus speciei.

XXXII. Dicere autem, quod non datur talis species, eo quod pecca-

tum non constituitur specie, sed in destructione speciei, eo quod D. Thomas 2-2, quæst. x, artic. v ad primum dicit: « Quod si consideretur peccatum secundum rationem mali, illud bonum a quo receditur est formale objectum peccati, sed ex hac parte peccatum non habet speciem, imo est privatio speciei. » Cæterum hoc verissimum est, quod ex parte recessus, et termini a quo peccatum non habet speciem. Non tamen potest negari quod habet illam ex parte termini ad quem: hoc enim esset negare id quod in majori dicebamus, et tamquam commune principium admittitur in theologia, quod genus morale dividitur in illas species boni et mali, in vitium et virtutem, etc. Nec enim est possibile admittere genus peccati, et negare speciem, cum genus sine speciei non sit, et frustra D. Thomas assignat pro differentia specifica aliquid positivum in malo morali, si talis species non datur in illo genere morali. Sane si non datur talis species in genere morali, quare D. Thomas toties ponit illud argumentum: Quod malum est privatio, et privatio non potest constituere speciem, aut si constituat non est per ordinem ad objectum, sed ad formas oppositas privatas, et nunquam respondet negando, quod detur talis species, sed negando quod privatio constituat illam, et supponendo quod illa species detur; ergo dicere quod non datur talis species, nec est vera species moralis peccatum, est contra mentem S. Thomæ, nec stamus ejus solutioni, et doctrinæ, cum ipse fateatur aliquam speciem mali moralis constitui, et non per privationem; quidquid illa species sit, sive dicatur esse species mali moralis pro fundamento, aut concreto, vel ex parte actus, et non pro formali, totum hoc nihil refert, sed debet considerari, an illa species, vel quid-